Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2605
Quelle:
Copyright:

Thomae de Haselbach Tractatum de *Contractibus* occasione Quaestionis eidem a D. *Jacobi* Sanctimonialibus *Viennae* propositae: *An contractus per eas cum magistro ciuium et consulibus ciuitatis Wienn. generaliter factus et consumatus sit licitus, in quo centum et decem florenos vngaricales annue ipsis ab eisdem presentandos pro tribus milibus et trecentis florenis vngaricalibus comparauerunt siue emerunt, sub titulo tamen reemptionis, quando placuerit vendentibus et eorum successoribus pro summa prenominata.* Ingressus est: *Religiosis sororibus in christo filiabus. Petronelle Magistre ac Conuentui sororum ad sanctum Jacobum Wienne, sancti Augustini ordinis Canonicorum regularium Thomas de baselbach arcium et sacre pagine professor inmeritus, sponso Ecclesie et vestro obuiam procedere venienti accensis lampadibus cum gaudio et salute* &c. In *Puncta* XVII. tota Tractatio dividitur, *Punctoque* VIII. Contractus ejusmodi *licitus et legitimus* pronuntiatur. Clausula est: *Hec salus meliori juditio quorum cunque, in christo sorores amabiles, vobis ad vestram instanciam volui conscribere — prestolans orationes pro mercede. Anno domini 1454. Conuersionis sanctissimi pauli die.* Tractatus similes *Henrici de Hassia* &c. habentur *Codd.* variis, ut *Index* docet.

II. *fol.* 37. absque titulo et Autoris nomine *Tractatus* ejusdem *Thomae Ebendorfer de Haselbach de sex Operibus Misericordiae*, qui constat *Sermonibus* sacris per *Quadragesimam* habitis in C. 25. Matthaei: *Esurivi et dedistis mihi manducare* &c. Initium est: *Dominus noster Ihesus christus cupiens nos invitare ad agenda bona opera pietatis et misericordie* &c. Sermo *ultimus* imperfectus videtur desinens in haec verba: *Vnde iam non reuertetur.*

III. *fol.* 76. Ejusdem Tractatus: *An liceat viris ecclesiasticis, curatis et prelatis tabernas tenere et vinum ad ducillum* (duciculum, conum epistomii, germ. vom Zapfen) *vendere et quomodo sine rationabili obtrectatione.* Ansam scribendi exponit Prooemium: *Uenerabili patri domino. M. preposito monasterij Sancte Dorothee ordinis sancti Augustini Canonicorum regularium wyenne Thomas Ebendorffer de baselpach sacre pagine professor indignus salutem* &c. *Attonitus plurimum vestre paternitatis suscepi querelas, quomodo quidam laycus, qui sibi sciolus videtur et sapiens — improperia congerere vti stomachatus non dubitauit, Precipue tamen quia in vestris monasterijs et locis vinum proprijs stipendijs excultum venditur ad ducillum, asserens hoc illicitum et tanquam prophanum a lege dampnatum. Supplicauit quoque mee paruitati quatenus super hoc moto dubio meam ipse dignarer aperire sententiam. Deuictus igitur eo caritatis glutino, quo olym in iuuentute multa familiaritate studendo pariter conuersati fuimus, libenter aggredior* &c. Materiam ergo in X. Puncta partitus, ultimo decernit: